Quando autem fortior uenit uniuersa arma eius abstulit. sic ego feci. fortior enim eo sum. uici eum per iusticiam. Non enim per fortitudinem uicit dominus diabolum. sed per iusticiam. Poterat enim excludere aperte. uirtute uerbi. poterat primum ex angelis suis. Non fecit. sed ratione uicit eum. que est. ergo illa ratio. Seduxit enim primum hominem diabolus. sic et dominus seduxit diabolum. Latuit enim se et nullo modo apparuit ei. ut sicud diabolus per ingenium simplicem hominem seduxit. ita etiam innocentem hominem iniuste tradidit in mortem. Sed qui ille iniuste occidit eum. iuste absolutus est dominus ab eo suum regnum.

Numquid diabolus cum eo erat semper. non. sed illi qui audiunt. Si enim conculcatum non fuisset a superbia eorum. non auderet diabolus tollere uerbum dei.

Duobus modis dicitur uerbum patris exire. Aut quod diffunditur per omnia. aut intellegitur quod diffusum per omnia. ut sit non locali diuisione sed communi intellegentia. Implet enim diuina sapientia a summo usque deorsum. Attingit enim a fine usque ad finem fortiter. et disponit omnia suauiter.

Quidam autem dicunt. quod nunc sicud inuisibilis et incomprehensibilis est deus. sic etiam in eternum nullo intellectu poterit comprehendi. quod deum nemo uidit umquam. Audiens autem ihesus miratus est. quid est miratus. quasi uti ignoraret fidem centurionis. Non ita est. sed etiam antequam fieret mundus cognouit fidem centurionis. Omnia aperta sunt ei. Sed quod dicitur miratus est ihesus fidem centurionis. ideo miratus ut miraretur ut miraretur ab aliis. Et male torquetur. Omnis humana miseria. ex duobus quasi fontibus manat. Saepe ab ipso homine irrationabili motu ipsius anime quando contra naturam mouet se. Alius fons a diabolo manat. Nam diabolus quando uidet rationalis nature motum statim iungit se. his duobus modis male torquetur humana natura. proprio motu et inuidentia diaboli.

Exiui a patre et ueni in mundum. Iterum relinquo mundo et uado ad patrem. quid est exiui a patre et ueni in mundum. Hi sunt in ea forma qua equalis sum patri apparui mundo. Iterum relinquo mundum et uado ad patrem. hoc est non in ea forma in qua apparui mundo. equalis sum patri.

Et quid est quod dicit me querebatis. si me sciretis non me quereretis. qui ubi quaeritur est. quomodo potest queri. qui ubique repperitur ex magna ex magna ignorantia procedit ut queratur. quid per sensus aut quid ... eius. ubique est et in nullo loco est. magna

...

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 91.2, 7v – Augustinus: Retractationes; Texts on the exegesis of the Gospels; Opus incertum de virtutibus et vitiis (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bg1a/2301/26703)